

pontificum, civile tracto: multum etiam Graecis litteris utor; Pythagoreorumque more, exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hae sunt exercitationes ingenii, haec curricula mentis: in his desudans, atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero. Adsum amicis: venio in senatum frequens, utroque affero res multum et diu cogitatas; easque tueor animi, non corporis viribus. Quae si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus, ea ipsa cogitantem, quae jam agere non possem: sed ut possim, facit acta vita. Semper enim in his studiis, laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu aetas senescit; nec subito frangitur, sed diuturnitate exstinguitur.

---